



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 1. De initio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

II. Reliquo tempore Paschali loco horum Suffragiorum Antiphona cum Versiculis & Oratione de Cruce, & quidem sola dicitur.

§. III.

De Clausula.

I. **I**N Choro clauduntur Vesperæ, si Completorium non sequatur, eodem modo, quo Laudes finiri supra dictum est. In privatis verò Vesperis post Versiculos, *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium* subjungitur tantum Oratio Dominica; vel si Completorium sequatur, etiam hæc omisâ statim dicitur *Iube Domine benedicere*. Si tamen post Vesperas aliud quodpiam Officium, vel Litaniæ sequantur, omitti debet Versus *Fidelium*, sicut supra tit. 2. §. 12. dictum.

TITULUS VI.

DE COMPLETORIO.

§. I.

De Initio.

I. **I**Nitium fit à petitione Benedictionis, recitatione Lektionis brevis, Versu *Adiutorium*, Oratione Dominica, Confessione, Absolutione, & Versiculis *Converte, DEVS in Adiutorium*, quæ tamen omnia (exceptâ Confessione & Absolutione) omittuntur in Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves.

II. Qui solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omisâ illis verbis *Tibi Pater, & vobis Fratres*; quando verò dicit *Misereatur*, aut *Indulgentiam* dicat *nostri, & nostrorum, non mei, & meorum*.

§. II.

De Antiphona.

I. **S**emper dicitur exceptis Feriis Cœnæ Domini, & Parasceves. Neque unquam mutatur nisi tempore Paschali, ubi illius loco tria Alleluja dicuntur, quibus per Octavam Paschæ quartum additur.

II. Ab initio nunquam integra dicitur, sed tantum in fine Psalmorum.

Instruēt. II.

D

§. III. De

II. Te